



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Commentaria et disputationes scholastica in Summam D.
Thomae Aquinatis**

Nazarius, Johannes P.

Coloniae, 1621

Prima Controversia. An per actum voluntatis producat^{ur} aliquid, quod sit
terminus eiusdem actus intrinsecus?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82303](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82303)

PRIMA CONTROVERSIA.

An per actum voluntatis producat aliquid, quod sit terminus eiusdem actus intrinsecus?

Sensum quæ-
stionis, & opi-
niones Do-
ctorum.

QUÆSTIO hæc est de voluntatis actu absolute, abstrahendo ab humano, Angelico & diuino: quamvis recentiores ad solum nostræ voluntatis actum controuerſiam arctare videantur, ob eam causam; quod ea quæ ad humanam pertinent voluntatem, euidentiora nobis sint, & ex ijs quæ de diuinæ voluntatis actu fide credita sunt, esse rationi consona, & euidenter credibilia videamus. Sed quamvis de hoc, vt præcipuo discursus principio, sit disputatio; rationes tamen quas hic & alibi producit S. Th. ad processione amoris in voluntate probandam ex natura voluntatis & actus eius absolute procedunt. Sit igitur æquæ lata & absoluta proposita quæstionis materia; nec de sola terminum productione querimus, verum etiam de propria illius causa & de modo & qualitate termini.

SCO TVS in 1. diff. 6. & 7. negat per actum voluntatis aliquid produci, quod sit terminus volitionis; sed affirmat actum ipsum volitionis, quem ait esse non actionem sed qualitatem, produci per actionem propriè dictam, quæ est clicere volitionem, esseque volitionem terminum actionis productæ. Eandem sententiam sequitur Sylu. super hoc a.

Mol. duo dicit. Primum: Cai. & alij qui ea ratione verbum constituendum esse censent, vt in eo tanquam in obiecto cognito principale obiectum agnosceretur, vix assignant rationem ob quam eiusmodi terminus constitui debeat. Secundum: Ratio cur admitti debeat prædictus terminus ea est, quia implicat contradictionem esse actionem, quin producat aliquem terminum. Cum itaque volitio sit actio & non qualitas, necesse est per eam terminum produci, qui sit de prædicamento qualitatis, cum nullus alius fingi possit.

Sed D. Th. & eius Schola longe aliter de processione amoris, quæ est per actum voluntatis, philosophantur vt ex sequentibus apparebit.

Resolutio.
Quæ sit con-
uenientia, &
differentia
processionum
verbi, & amoris
præ-
sertim quo
ad nominum
proprietas
refertur.

CUM IN diuinis sint duæ processiones: vna per modum intellectus quæ est processio verbi; alia per modum voluntatis quæ est processio amoris; quoniam vt ait S. Thom. in 1. q. 37. a. 1. prior est magis nota nobis, ideo ad singula significanda quæ in ea considerari possunt, propria fuerunt inuenta vocabula. Nam diuini verbi processio dicitur generatio, conceptio & dicere; id verò quod procedit, nuncupatur genitum, Filius conceptus & verbum. At amoris processio & ea quæ naturaliter attinent ad eius complementum, quia nobis occultiora sunt, non ita proprijs fuere nominibus designata. Nam processio amoris appellatur amor, spiratio & processio; Id verò quod procedit, proprio nō gaudet nomine, sed nuncupatur amor, dilectio, donum & Spiritus Sanctus: quæ nomina secundū se communia sunt tribus in vna deitate personis: sed notionaliter sumpta propria sunt personæ procedenti per actum voluntatis. In hoc tamen conuenit processio, quæ est secundum voluntatem cum ea quæ est secundum intellectum, quod sicut ex hoc, quod aliquis rem aliquam intelligit, prouenit quædam actualis conceptio rei intellectæ in intelligente, quæ dicitur verbum; ita ex hoc quod aliquis rem aliquam amat, pro-

Auenit, inquit S. Thom. quædam impressio rei amata in amantis affectu, secundum quam amatum dicitur esse in amante: quemadmodum intellectum est in intelligente. Cum igitur seipsum aliquis intelligit & amat, est in seipso non solum per identitatem rei, sed etiam vt intellectum in intelligente & vt amatum in amante.

SED AD maiorum dictorum explicationem sciendum est secundo tria esse in vtraque processione: Primum est actio ipsa puta intellectio vel volitio, quæ significatur cum habitudine ad rem intellectam vel amatam. Secundum est habitudo principij ad id quod procedit. Tertium est habitudo procedentis ad principium à quo procedit. Exempli gratia, in processione quæ est secundum intellectum, primò est ipsum intelligere, quod significat actionem intelligentis cum respectu ad rem intellectam; & quoniam hæc actio cum dicto respectu communis est tribus personis & Deo conuenit vt Deus est; idcirco intelligere essentialiter tantum dicitur. Secundò in eadem processione est respectus principij ad id quod ex principio procedit: hunc autem respectum importat dicere; nam dicere est verbum proferre, quo res verbo representata dicitur: consequens ergò est vt dicere primò significet habitudinem ad verbum procedens, secundariò autem ad rem verbo dictam: cū præsertim dicere formaliter includat intelligere, vt ante diximus. Quo fit vt in diuinis dicere sit notionale propriè loquendo, ob dictam habitudinem vni tantum personæ scilicet Patri dicenti propriam primò significatam. Tertiò in dicta processione quæ est secundum intellectum, est habitudo procedentis ad suum principium, hæc verò importatur nomine verbi: & ideo verbum in diuinis dicitur personaliter.

Tria in processione verbi, & eorum nomina.

Cum itaque tria prædicta sint etiam in processione, quæ est secundum voluntatem: propria tamen, ob assignatam superius causam, non habent vocabula; vnde nomina quæ significant habitudinem amantis ad rem amatam, vt dilectio & amor, quæ tribus communia sunt personis, adaptantur ad significandas etiam duas alias habitudines, nimirum eam quæ est principij ad id quod ex principio procedit: & ipsius affectionis procedentis ad principium ipsum. Itaque nomine amoris vel dilectionis quandoque significamus actum amantis cum sola habitudine ad rem amatam; & hoc modo sumitur essentialiter amor siue dilectio; quandoque denotamus habitudinem amantis ad affectionem procedentem per actum amoris: & sic accipitur notionaliter & significat proprietatem notionalem communem Patri & Filio, quæ est spiratio actiua; quandoque tandem significamus habitudinem affectionis ad suum principium: & hoc modo significat ipsum Spiritum sanctum vel eius passiuam originem: in hoc enim sensu nomen amoris importat amorem procedentem: quemadmodum si verbum diceremus intelligentiam conceptam vel sapientiam genitam. Et similiter etiam diligere dupliciter sumitur scilicet essentialiter vt significat actum cum habitudine diligentis ad rem dilectam; & notionaliter vt significat habitudinem diligentis ad affectionem siue impressionem siue terminum per dilectionem productum.

Tria in processione amoris, & eorum nomina.

TERTIO obseruandum est ex D. Th. 1. 2. q. 28. Amor in 1. vnionem tripliciter ad amorem pertinere, tres uniones siue vt ait S. D. ad amorem se habere: Nam quædam vnio præcedit amorem & causa illius est: & paratur vnio hæc in amore quo quis seipsum amat vnio sub-

intelle. Hic
nis: & ex-
plicatur
quomodo a-
manti sit in
amante & e-
conuerso.

stantialis est; in amore verò quo quis amat alia, A
causa illius est vnio similitudinis in natura vel
qualitate. Quædam autem vnio est essentialiter
amor ipse, & hæc est vnio secundum coaptatio-
nem affectus siue complacentiam: quæ quidem
vnio assimilatur vnioni substantiali; Nam amas
in amore amicitia se habet ad amatum vt ad seip-
sum; in amore autem concupiscentia vt ad ali-
quid sui. Demum est quædam vnio amore po-
sterior & eius effectus; & hæc est vnio realis eo
modo quo amor conuenit, vt scilicet amici collo-
quantur, sit inter eos familiaris conuictus &
consuetudo. Si itaque comparentur amor & in-
tellectio quo ad omnes vnitates vtrique seorsum
congruentes: maior apparebit amoris quam in-
tellectionis vnio: nam realem vnitatem efficit am-
mor; intellectio verò solum vnit secundum esse
intelligibile. Quod si fiat comparatio secundum
eam solum vnionem, quam vterque; scilicet amor
& intellectio formaliter efficit: sic longe maior
est intellectio vnio quam amoris: quoniam,
vt ait Auerroes in 3. de Anima; magis fit vnum ex
intellectu & intelligibili, quam ex materia &
forma; nam intellectus in actu est intellectum in
actu, amans autem non est amatum in actu, ac
proinde intellectio facit formaliter intellectum
esse rem intellectam in actu; amor verò non fa-
cit formaliter amantem esse rem amatam, sed ef-
ficat amatum, & e contra scilicet amatum vt a-
mantem in amore amicitia; in amore verò con-
cupiscentia facit amantem se habere ad amatum
vt ad aliquid sui nimirum amantis: maius autem
est esse aliquid, quam se habere ad illud vt ad se-
ipsum, vel vt ad aliquid sui; igitur maior est for-
malis vnio cognitionis quam amoris.

ANAPROPS.

QUARTO notandum est tribus modis (quod
attinet ad rem præsentem) dici aliquid esse in
alio; vno modo per identitatem essentia: sicut
in diuinis Filius est in Patre, & e conuerso. Se-
cundo per similitudinem: sicut cognitum est in
cognoscente. Tercio per impulsu siue inclina-
tionem aut complacentiam per quam est impres-
sum amatum in amantis affectu, vt vel delecte-
tur in eo, aut in bonis eius eo præsentem, vel si
fuerit absens, per desiderium tendat in ipsum a-
matum per amorem amicitia; vel in bona, quæ
vult amato per amorem concupiscentia. E con-
uerso autem dicitur amans esse in amato; Per a-
morem quidem concupiscentia: quatenus non
requiescit in quacunque extrinseca aut superfi-
ciali adeptione vel fruitione amati; sed quærit a-
liquo modo amatum perfecte habere, quasi ad
intima illius perueniens. Per amorem autem a-
micitia dicitur amans esse in amato: quatenus æ-
stimat bona vel mala amici sicut sua, & volunta-
tem amici tanquam suam; adeo vt in amico suo
videatur ipse bona vel mala pati, quasi idem fa-
ctus amico; sicut e contra dicitur amatum esse in
amante, inquantum amas vult & agit propter amicum
sicut propter seipsum: quasi reputans amicum idem
sibi, vt ait S. Th. 1. 2. q. 28. a. 2. quo loco vide, si
placet, materiam hanc latius explicatam, & in-
terpretatione Caietani perspicuam. Et quoniam
amatum, vt diximus, est in amante per inclina-
tionem siue complacentiam, quæ etiam nuncu-
patur impulsus; idcirco vt ait S. D. in 4. contra
gent. cap. 19. amatum est in amantis voluntate vt
inclinans & quodammodo impellens intrinsecus
amantem in ipsam rem amatam. Quapropter, vt hic
aduertit Cai. fieri vt amatum in voluntate non est
fieri vt tractum, sed vt trahens ipsam voluntatem;
& amari non est trahi sed trahere amantem; quod
non aduertit Aure. apud Capr. in 1. distinct. 10.

Postremo obseruandum est multiplex con-
uenientia & differentia, inter actum intellectus
& voluntatis. Conueniunt enim primo; quod sicut
per actum intellectus producit aliquid reale
quod est terminus illius intrinsecus: ita per actum
voluntatis emanat quidam intrinsecus illius ter-
minus, vt docet hic S. Thom. & infra q. 37. a. 1.
& omnes Thomistæ communiter; Et manifesta-
tur exemplo motus localis impulsui, quo mo-
uens imprimit mobili vim quandam & impe-
tum, quo mobile propendet in terminum: vt
patet in sagitta vi proicientis emissa. Secundo
sicut verbum non est habitualis sed actualis si-
militudo expressa: ita terminus per volitionem
productus non est habitualis inclinatio, sed est
terminus complens actuale inclinationem, &
ad eam pertinens: sicut verbum pertinet ad a-
ctuale intellectionem vt eius complementum.
Tercio sicut id, quod per actum intellectionis
producit, non durat nisi dum intellectio per-
seuerat; ita id quod per actum volitionis ema-
nat, non durat nisi manente volitione: Quæ co-
uenientia sequitur ex præcedente; Nam quod a-
ctuale tantum est operationis intrinsecus ter-
minus & eius complementum: impossibile est ea
non existente manere, cum ex ea & in ea tantum
existat.

Actus intelle-
ctus & vo-
luntatis ha-
bere triplicem
conuenientiam,
& quinque
differentias.

Differunt autem actus intellectus & volunta-
tis: Primo, quod terminus intrinsecus intellectio-
nis est eius obiectum per se primo: sed volitio-
nis intrinsecus terminus non est eius obiectum.
Probatur ex differentia inter obiectum & modum
operandi intellectus & voluntatis: Nam vt ait
Philosophus in 6. metaph. tex. 8. obiectum intel-
lectus quod est verum est in intellectu; Bonum
autem quod est obiectum voluntatis in rebus
existit. Et S. D. in art. seq. & alibi sæpe statuit dif-
ferentiam inter intellectum & voluntatem: quod
intellectus fit in actu per hoc quod res intelle-
cta est in intellectu per suam similitudinem; vo-
luntas autem fit in actu non per hoc quod aliqua
similitudo voliti fit in voluntate sed ex hoc quod
voluntas habet quandam inclinationem in rem
volitam; igitur obiectum per se primo intelle-
ctus est in intellectu: obiectum autem per se pri-
mo voluntatis non erit in voluntate sed in re-
bus, vt magis patebit in seq. a. Secundo differunt,
quod terminus intrinsecus intellectionis est for-
malis similitudo rei intellectæ: sed terminus in-
trinsecus volitionis non est similitudo rei voli-
tæ. Hæc differentia sequitur ex præcedenti: &
probatur à D. Th. in a. seq. ubi etiam ab inter-
pretibus explicatur vberissime. Tercio differunt,
eo quod res siue qualitas illa quæ terminus est in
intellectu, modum habet ac nomen termini:
verbum enim est quod dicitur, & conceptio est
id quod in vtero concipientis formatur. Cum
itaque verbum & conceptio, rem ab intellectu
specie intelligibili perfecto procedentem & in
ipso manentem significant, terminum designant
intrinsecum actus intelligendi eiusdem comple-
tuum; ob eam præcipue causam quod prædictis
nominibus importatur rei cognitæ similitudo
per modum obiecti, vt in præcedentibus satis
ostendimus. Res verò siue qualitas terminans
actum voluntatis, quamuis secundum rem sit
terminus, nec modum tamen nec nomen habet
termini; est enim & significatur vt inclinatio in
aliud tendens: conditio verò est non termini
sed viæ in aliud tendere, vt hic scite notat Cai.
Quamobrem S. Thom. de veritate quest. 4. a. 4.
2. ad 7. dixit in voluntate nihil procedere nisi
per modum operationis, secus autem esse in intelle-
ctu.

actu. Quod dicitur Capr. in 1. dist. 18. q. 1. Sylu. in consilio, & Ferr. in 4. contragent. c. 19. in ultima dubitatione censent intelligendum esse, vt excludat tantum à voluntate procedens siue productum, quod sit similitudo rei volitæ, & quod sit obiectum voluntatis ad modum voliti; non autem omne operatum aut productum; quam expositionem sequitur Iauellus, Torres & alij recentiores. Vnde non est audiendus Zum. affirmans D. Tho. mutasse sententiam. *Quarò differunt*, quoniam in intellectionis actu obiectum intellectus media similitudine expressa, siue verbo per actum intelligendi productum in intellectu, trahitur ad ipsum intellectum; At obiectum voluntatis non trahitur ad voluntatem per impulsum illum productum, sed potius trahit & rapit ad se voluntatem; nam licet amatum fiat in amante per impulsum illum, non fit tamen in ipso vt tractum, sed vt trahens, vt ante diximus cum D. Thom. & Cai. *Postremò differunt* actus intellectionis & volitionis in modo vnionis vtrique conuenienti vt ex prædictis eluceat.

Conclusio
non dedu-
cit, & pro-
bata.

Molins cen-
sura vana.

PRIMA CONCL. Per actum voluntatis produ-
citur aliquid reale, quod est terminus intrinsecus actus
voluntatis, & appellatur inclinatio, impulsus, amor &
affectio. Probatur: quia volitioni non minus de-
betur perfectio & complementum, quam intel-
lectioni: Sed hæc completur intrinseco termino
quod est verbum; Ergò etiam illa completur im-
pulsu productum vt intrinseco termino. Ex quo
patet vanam esse censuram Mol. prædictam. Causa
verò ab eo assignata nulla est; ait enim rationem
cur admittatur terminus productus in voluntate,
eam esse: quia implicat contradictionem esse actionem,
quin producat aliquem terminum; superius enim ostendimus
falsitatem assumpti; nam nec actiones immanentes
propriè actiones sunt, nec omnes sunt producti-
uæ, vt aptè probauimus de actu sensus exte-
rni.

SECUNDA CONCL. Hic terminus pertinet ad
complementum actus secundi, nec durat nisi eodem ac-
tu, siue operatione manente.

TERTIA CONCL. Est per antedictum termi-
num fiat vno rei amate in amante, adeo vt non solus
amans sit in amato, sed amatum etiam sit in amante;
nò tamen hic terminus est obiectum voluntatis intrin-
secum, nec similitudo rei amate. Hæc patet ex di-
ctis, & videtur esse contra Ferrariensem in di-
cto cap. 19. vbi ait per affectionem siue compla-
centiam quæ est amor, amans esse quodammodo
rem amatam, sicut vna res quæ est alteri propor-
tionata, & est principium motuum in illam, est
quodammodo ipsa. Sed longè aliud est rem ali-
quam esse in aliquo, & illud in quo res est, esse
rem illam quæ in eo est, præsertim si res in alio
existens nò sit ab eo dependens vt effectus à cau-
sa: & valde differunt vnum esse aliud, & vnum
se habere ad aliud, vt ad seipsum, vel vt ad ali-
quid sui, vt supra notauimus cum Cai. Sed quia
Ferr. dictione illa quodammodo, sententiam suam
ita moderatur, vt improprium etiam sensum
admittat; non multum videtur à scopo deui-
asse.

QUARTA CONCL. Quamuis quod actu volun-
tatis producit, sit vere terminus: nec modum tamè,
nec nomen habet termini, sed vie.

Argum. & solutiones. CONTRA primam concl. sunt argum. quæ
proponunt & soluant Caiet. Ban. Zumel. &
alij.

CONTRA tertiam concl. sunt argum. Aur.

apud Capr. quorum vim proponit hoc loco
Cai. & soluit, quem alij sequuntur interpretes.
Contra eandem concl. est argum. tale. Pater &
Filius per actum voluntatis producant Spiritum
S. qui est terminus volitionis & obiectum ama-
tum ab eis; Ergò nos per actum voluntatis pro-
ducimus aliquid, quod sit eius obiectum atque
amatum ab ea. *Resp. Torres*, & negat consequen-
tiam; quoniam (inquit) maximum est discrimen
inter voluntatem humanam & diuinam; quia
obiectum voluntatis diuinæ est intra ipsum
Deum, & ob id per actum ipsius producitur a-
liquid, quod est ab ea amatum scilicet Spiritus
S. At obiectum humanæ voluntatis est extra.
Sed hæc responsio falsum admittit, quod assu-
mitur in argumento, videlicet Spiritum S. qua
ratione terminus est actione voluntatis produ-
ctus, esse eiusdem voluntatis obiectum; Nam
obiectum diuinæ voluntatis per se primò & ad-
æquatum est ipsa diuina bonitas, quæ tribus
personis est communis: nec ab earum vlla pro-
cedit: nec terminus est productus per actum a-
mandi, sed communicatus tantum; amor verò
productus qui terminus est diuinæ volitionis,
prout est Patris & Filij, non est formaliter ob-
iectum diuinæ voluntatis; amor enim produ-
ctus persona est Spiritus Sancti realiter ab alijs
distincta, & vt productus ac terminus volitio-
nis formaliter, non est diuina bonitas; alioquin
diuina bonitas formaliter esset producta, quod
est hæreticum. *Neganda est* itaque prædicta pars
accidentis, & dicendum amorem productum si-
ue Spiritum S. esse diuinæ voluntatis obiectum,
ea ratione tantum qua secundum rem idem est
cum ipsa diuina bonitate, non autem quia pro-
cedat per modum obiecti siue vt obiectum for-
maliter.

Responsio
Torrensis.

Turriani
responsio
reijciatur.

vera solutio.

TERTIUM argum. S. Th. est. Si in diuinis
fit alia processio ab intelligibili processione verbi,
non erit nisi processio amoris; quæ est secun-
dum voluntatis operationem: At talis processio
non potest esse alia à processione intelligibili in-
tellectus; Ergò in Deo non est alia processio
præter processionem verbi. Probatur minor:
voluntas in Deo non est aliud ab intellectu; Ergò
processio quæ est secundum operationem volun-
tatis, non est alia à processione intelligibili in-
tellectus. *Responder* S. D. & negat minorem: At
probationem negat consequentiam & affert ra-
tionem negationis duplicem. Prima est: quo-
niam licet in Deo non sit aliud voluntas & in-
tellectus; tamen de ratione voluntatis & intel-
lectus est, vt processionem quæ sunt secundum
actionem vtriusque, se habeant secundum quen-
dam ordinem; quoniam non est processio amo-
ris, nisi in ordine ad processionem verbi; nam
nihil potest voluntate amari, nisi intellectu
conceptum. Secunda ratio est à simili: Nam
sicut attenditur quidam ordo verbi ad princi-
pium à quo procedit, licet in diuinis sit ea-
dem substantia intellectus & conceptio intel-
lectus; ita licet in Deo sit idem voluntas & intel-
lectus, tamen quia de ratione amoris est, quod
non procedat nisi à conceptione intellectus, ha-
bet ordinis distinctionem processio amoris à
processione verbi in diuinis.

Proponitur
in forma
tertii argu-
menti S.
Thome &
eius respon-
sio, ac expli-
cacio.

Cuius argumentationis intentio eo tendebat, vt
ostenderet non esse maiorem distinctionem in-
ter processionem intellectus & voluntatis, quàm
sit inter intellectum & voluntatem, ac proinde
quemadmodum inter intellectum & voluntatem nò
est

est realis distinctio, quæ propria ac vera est alie-
 ras: ita nec inter processiones vera est alietas siue
 realis distinctio. Scopus autem responsionis est o-
 stendere longè maiorem esse distinctionem in-
 ter processiones, ea distinctione quæ est inter in-
 tellectum & voluntatem, quæ virtualis tantum
 est, adeo vt actualiter & simpliciter sint vna res
 intellectus & voluntas. Cuius differentia cau-
 sam affert; quia inter processiones est ordo ori-
 ginis, quo vna est ab alia: quem ordinem non
 habent formaliter intellectus & voluntas. Dixi
 formaliter quia sicut in Deo causatur virtualiter
 aternitas ex immutabilitate: ita voluntas ex in-
 tellectu, vt patet ex ijs, quæ supra diximus q. 10.
 a. 2. & q. 19. a. 1. Sed quamuis non sit realis di-
 stinctio, nec ordo originis inter intellectum &
 voluntatem; ex rationibus tamen intellectus &
 voluntatis oritur veluti ex prima radice realis
 ordo originis, quem habent processiones adinuicem:
 oportet enim processionem illam quæ
 est per voluntatem, oriri ex ea quæ est per intel-
 lectum; quia ex intellectuali boni cognitione
 nascitur eius amor in voluntate: nec amari pos-
 sibile est à voluntate, quod prius non apprehen-
 dit intellectus vt bonum. Cum enim voluntatis
 obiectum sit bonum apprehensum ac iudicatum
 vt bonum: necesse est obiectum voluntatis prius
 quodammodo perfici per actum intellectus, quia
 in illud actu feratur voluntas. Rationes igitur
 intellectus & voluntatis, quæ sumuntur ex or-
 dine ad obiecta, sunt primæ radices realis ordi-
 nis, quem habent eorum processiones: & eadem
 ratione personæ procedentes; quamquam intel-
 lectus & voluntas secundum se sint vna res & v-
 na ratio simplicissima. Quod maxime consonat
 ijs, quæ perspicue cernimus in multis efficienti-
 bus causis ad suos effectus comparatis. Nam ex
 vna prima causa quæ Deus est, tota quæ in vni-
 uerso est processit entium multitudo; & ex vna
 animæ rationalis essentia plurium numerus ef-
 fluit potentiarum: & ex vnicâ solis virtute tot
 in elementis ac mixtis generantur effectus. Cum
 igitur rationes intellectus & voluntatis princi-
 pia sint vt quo vel quibus dictarum processio-
 nū; poterit in processionibus veluti in principiis
 esse distinctio, cum summa principiorum in-
 tellectus scilicet ac voluntatis vnitatem.

Ordo origi-
 nis vnde
 fit.

Vbi aduerte cum Caiet. in *sine com.* aliud esse
 dicere ordinem originis siue distinctionem pro-
 cessionum pendere ex rationibus intellectus &
 voluntatis; & aliud eundem ordinem siue di-
 stinctionem pendere ex distinctione intellectus
 & voluntatis. Primum enim verissimum est:
 nam ratio intellectus & voluntatis significant
 rem realem, quæ potest esse radix dicti ordinis
 & distinctionis, vt ostendimus. Secundum au-
 tem significat ens rationis, ex quo non pendet
 ordo realis, qualis est inter processiones diui-
 narum personarum & inter ipsas personas pro-
 cedentes.

Lapsus Mo-
 line, Tur-
 rianus & Zu-
 meri.

Et ex his patet defectus Mol. & Barth. Torres,
 quem ex parte sequitur Zumel. in hac responsione
 ad tertium, qui nititur sustinere distinctionem
 realem posse ex distinctione rationis dependere,
 quod omnino falsum est. Nam etsi distinctio rea-
 lis oriri possit ex fundamento distinctionis ra-
 tionis, non erit tamen ex eo vt ratione
 distinguente, sed vt à conditio-
 ne tantum.

PRIMA DVBITATIO.

De sensu illius propositionis: De ratione amoris est,
 vt non procedat nisi à conceptione intellectus.

Dvo sunt propositæ dubitationis membra: *Sensus que-
 situs, & pro-
 positionis in-
 terpretatio.*
 Primum est: an sit de ratione amoris in primo mo-
 do dicendi per se, quod procedat à verbo, siue concep-
 tione intellectus, & consequenter quod processio sit à pro-
 cessione? **S**ECVNDVM est: an de ratione amoris sit,
 vt procedat à verbo quatenus verbum est; an solum
 quatenus verbum est res intellecta? Nam si de ratio-
 ne amoris est, vt procedat à verbo vt verbum est,
 poterit ex dicta propositione, vt efficaci prin-
 cipio probari aduersus Græcos, Spiritum sanctum
 à Filio procedere. Sin minus, probabilis
 tantum erit deductio. Ratio huius differentia
 est: quia verbum vt verbum est, dicit respectum
 originis ad dicentem: significat enim concep-
 tionem intellectus productam; res autem ac-
 tu intellecta vt sic, nullum dicit ordinem ori-
 ginis ad intelligentem; alioquin diuina essentia
 vt à Deo & beatis intellecta, per Dei & beatorū
 intellectum produceretur. Igitur verbum vt
 verbum est, personaliter dicitur: sub ea verò ra-
 tione qua obiectum est, solam dicit essentiam,
 quæ obiectum est adæquatam intellectus Dei vt
 Deus est; igitur, si de ratione amoris est, quod
 procedat à verbo vt verbum est, sequetur neces-
 sario Spiritum sanctum à Filio procedere, qui
 verbum est Patris. Si verò de ratione amoris sit,
 vt procedat à verbo quatenus verbum est res
 intellecta: non erit necessaria sed probabilis tan-
 tum deductio. Nam vt Caietanus aduertit *infra*
 q. 36. a. 2. dicere posset aliquis Patrem amorem
 sui notionalem producere cognoscendo seipsum
 essentialiter. Sed tamen rationabile valde est, vt
 qualis est ordo inter essentialia, talis sit etiam
 ordo inter vtriusque notionalia: ac proinde si-
 cut amor essentialis oritur secundum rationem
 & modum nostrum intelligendi ex conceptu
 essentiali, quo formaliter Pater omnia nouit: ita
 notionalis amor qui est Spiritus sanctus, sit ex
 cōceptu notionaliter sumpto quod est verbum.

D PROPOSITÆ dubitationis solutio pendet
 ex multis, quæ diligenter erunt examinanda.
 Hic ea dumtaxat summa breuitate colligemus,
 quæ præsentī materiæ ac instituto fuerint oportu-
 na. Sunt autem tria; quæ Caiet. subtiliter ac
 doctè tangit *hic*, & *infra* q. 36. a. 2. quorum ex-
 plicatio nodū difficultatis abfoluet. **P**RIVM
 est; Propositionem illam de cuius sensu dubita-
 mus, nimirum *De ratione amoris est, vt non proce-
 dat nisi à conceptione intellectus* intelligendam esse
 de conceptione naturali, quæ nō potest esse sine
 verbo: tametsi supernaturalis aliqua sit absque
 verbo, vt beatificatio. Et præterea supponi debet
 cōmunia, videlicet bonum cognitum esse prin-
 cipium productiuium amoris, vt ait Philosoph.
 in 3. de anima, & 12. Meth. & quod esse cognitum
 sit esse mente conceptum: de quo supra disserui-
 mus cū Caietano; Ex his enim sequitur de ratio-
 ne amoris esse in primo modo dicendi per se
 oriri à conceptu, quatenus est res cognita vt sic.
 Probat ut sequi: quoniam esse cognitum co-
 gnitione naturali idem est, quod esse conceptū
 mente; ipse verò conceptus, vt ante diximus, est
 ipsum cognitum in esse obiectiuo; bonum au-
 tem cognitum est productiuium amoris, vt eius
 propria causa; Ergo &c. Probat ut sequela. Nam
 cuilibet effectui conuenit per se primò depen-
 den-

Resolutio.